

De Oppositione.

273

tam, quod falsum, & autoribus cit. aduersatur.

37. Sicut igitur obiectum propositionis de fut. cont. est determinatè futurum: ita propositio, quæ obiectum illud effert, ut in se est, est determinate vera.

38. Ut autem ostendatur, futurum contingens esse determinatè futurum, sciendum, aliquid dici futurum contingens ratione causæ suæ: Potest autem causa illa dupliciter spectari, 1. quatenus potest operari & non operari; hoc modo futurum contingens à causâ suâ habet hoc, quod est contingens: Sicut enim causa potest agere & non agere: ita futurum contingens potest produci & non produci, esse & non esse: 2. quatenus se determinabit ad agendum; h. m. à causâ suâ contingens futurum habet hoc, quod est futurum: Sicut enim causa se determinabit ad agendū; ita id, ad quod agendum vel producendum se determinabit causa, determinatè est futurū, si igitur propositio de futuro contingente, representat hoc futurum, ut in se est, ipsa in se determinatam habet veritatem; si aliter, falsitatem. Ex his simul patet non tolli rerum contingentiam, si propositionibus de fut. conting. tribuatur veritas, vid Gassend. *Exerc. paradox. adversus Arist. 4. lib. 2.*

39. Sequitur jam proprietas vel lex contrariarum, quæ est hæc: Contrariæ interdum

§

pos: